

Heinrich Schuckmann Hermann Hofmann

## **Disputatio De Iure Accrescendi, Materia subtili & sat difficili**

Rostochi[i]: Kilius, 1641

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731845242>

Druck Freier  Zugang



Güterverzeichnis

H. Schuckmann (H. Hoffmann) Kart. 16

R. U. nr. 1641



DISPUTATIO  
DE  
**JURE AC-  
CRESCENDI,**

Materia subtili & sat difficili,

*Quam*

D. T. O. M. A.

Permissu Magnifici & Nobilissimi JC-  
torum Collegij in florentissimâ ad Varnum,

Academia,

*PRESIDE*

*Viro Amplissimo & Consultissimo*

**Dn. HENRICO Schuckmann/**

JCto eximio, Professore Codicis pu-  
blico, & Facultatis p. t. Spectatissimo

DECANO,

*Publico examini subijcitur*

**HERMANNUS Hoffman/**

Culmbacho Francus.

*Die 20. Februarij in Auditorio Majori.*



**ROSTOCHI.**

Literis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO MDCXLI.





De  
JURE ACCRESCENDI.  
Antelogium.

**H**ut olim Lex Papia Poppaa, à duob. Consulib. Papio & Poppao sic dicta, maximè obnoxia juri ACCRESCENDI, quæ ferebatur tempore Augusti, augendi & replendi ararij gratiâ, quod bella civilia suscepta inter Pompejum & Casarem & inter Pompejum, Lepidum & Brucos exhausserant. (quam ob causam & vicesima hereditatum reperta perhibetur.) Hæc lex Papia auferebat Coheredib. & Collegatarijs partes hereditarias & legata communia quæ ipsis poterant alias accrescere. inq. fiscũ tanquã caduca redigebat ex multis casib. quos enarrat Jacob. Cujac. in Cd. ad t. C. de caduc. tollend. Sed Gloriosissimus noster Imperator JUSTINIANUS restituto jure antiquo, hanc legem penitus abrogavit, & uti vicissimæ ita & caducorum commoda fiscalia, quæ rerum necessitas extorserat, omninò cessare fecit, jusq. ACCRESCENDI iterum introduxit, ut cessante jure Caduci & Fisco excluso, in socij portionem coheres vel collegatarius de novo admitteretur. De quã materia, Deo annuente, discursum instituturus rem à sua definitione exordiar.

Definitio  
dominii.



**D**icitur hoc jus ab accrescendo.

Accrescere a. communiter in jure nostro significat, cum res una accedit vel adjungitur alteri, V. C. si insula fundo adjicitur dicitur accrescere l. ergò-30. pr. l. 56. pr. ff. de acquir. rer. Domin.

Rei.

2. Et est nihil aliud quam *modus acquirendi*, a. lege *introduc-tus* b. quo *hereditatis* c. aut rei *legata* d. vel *mortis causa* data e. pars *deficiens*, f. in uno g. ex *coheredib.* aut *collegatarijs* h. *defuncti voluntate*, i. *conjunctis*, k. vel etiam *absq;* eiusdem *dispositione* ab *intestato concurrentib.* l. alteri *partem suam agnoscenti* m. *accrescit* vel *adjungitur*. n.

Genus,

2. a. Est *modus acquirendi*. Quia quæcunq; pars alteri accrescit, ipsi hæc acquiritur ejusque dominio adjicitur. Equè enim jus accrescendi dominium & jus reale tribuit ac ipsa successio principalis. Hinc dicitur, quod portio accrescens meam partem hereditariam augeat, eademq; sit & habeatur pro ipsa parte hereditaria l. si in testamento s. ff. de vulgar. & pupill. substit.

Cause ex  
terna: Ef-  
ficiens &  
Finis.

4. b. *Lege introduc-tus*. sc. in *subsidiu(m) testantium* ne *facile testamenta corrumpant*. Cum enim testator instituit duos vel plures heredes, est in eâ spe, ut cogitet, singulos agnituros esse suas portiones & ideo contentus est simplici institutione. Potest autem fieri, ut fallatur iudicio & forte unus ex heredib. nolit suam partem. Hic invenit lex remedium, ut illa portio deficiens vel vacans accrescat portionibus reliquis hereditarijs, ne testamentum fiat inutile. Cum nemo possit decedere pro parte testatus & pro parte intestatus l. jus nostrum 7. ff. de R. J. Heredi-

Hereditas enim est res individua *Br. in l. 1. ff. de acquir. hered.* ideo non potest in una parte valere, in altera infirmari. Et inde est quod vulgò dicitur: *Partem testati quantacumq; sit ea, trahere ad se partem intestati, quantaquanta illa fuerit.*

5. c. *Quo hereditatis.* l. un. §. 10. C. de caduc. tol. *Materia* <sup>7</sup>  
*lend.* sc unius ejusdemq; l. *Si sub conditione* 161. ff. quib. mod. *ususfr. amitt.* In diversis secus est. V. C. si Titius instituat Sempronium cum filio suo; Filio non adeunte Sempronius bona Testatoris Titij, non etiam filij capiet. Alia enim est hereditas patris, alia filij. l. 2. §. 1. ff. *heredit. vel action. vend.* Aliud tamen dicendum, si Sempronius in secundum casum filio impuberi sit substitutus & filius postquam heres extitit patri, impubes decesserit. Tunc enim hereditas ipsi etiam invito acquireretur. *h. quidam elogio.* 20. C. de jure deliberand. Si modo suam partem admittere velit. d. l. 20.

6. d. *Aut rei legatæ.* quæcumq; illa sit *per text. general. Constitutionis Justin. in d. l. un. §. 11. C. de cad. toll.* Excepto tamen alimentorum legato. l. *dominus* 57. §. 1. ff. de *usufr.* Et est specialis præsumptio pro Testatore, ipsum velle, ne ultra modum alimentorum quicquam habeant singuli legatarij. Unde illud vulgare: Legata alimentorum non iterari nec multiplicari *arg. l. 16. §. 2. ff. de aliment. legat.*

7. e. *Vel mortis causa data.* Cum & illa quæ mortis causa dantur accrescant conjunctis deficientib. d. l. un. §. *ante penult.* similis est enim mortis causâ donatio legato. l. *ult. C. de don. caus. mort.* Hinc qui jussus est dare decem heredibus tota decem ei, qui solus extitit heres, debet. l. *qui duob.* 23. ff. de *condit. & demonstr.* l. *Thais* 41. §. 14. ff. de *fidemmiss. libertat.* Ex quo apparet diversum esse jus in donatione inter vivos. Excipiuntur tamen ea, quæ ex liberalitate Principis proficiscitur. l. un. C. *si liberalit. imper. soc. sin. hered.*

8. f. *Pars deficiens.* Quandiu enim nulla pars deficit *Adjun*  
aut vacat, tandiu quoq; jus accrescendi non habet locum. Pars *sum*

A 3

autem

*Quoties  
pars de-  
ficit?*

autem deficere dicitur multis modis. 1. *deficit res hereditaria vel legata*, cum rerum naturâ eximatur, vel non existat. Et hoc modo non potest accrescere, cum non entis nullâ sint qualitates. 2. licet existat & *tamen non consistat* in personâ heredis vel legatarij. Et hoc modo pervenit ad conjunctum. *d. l. un. §. 3. C. de Caduc. toll. 3.* Vel siquidem quoq; consistat in horum personâ, ab hoc vel illo tamen repudietur, spernatur vel omittatur, simili modo tunc accrescit. *d. l. un. §. 10. & 11. C. d. t.* 4. deniq; licet non omittatur, sed pars maximè sit acquisita, postea tamen amissa, deficere quoq; dicitur ut accrescat alteri,

9. Sed hic ultimus defectionis modus solum habet locum  
1. in usufructu acquisito & amisso. *l. 1. §. 3. ff. de usufr. accres.*  
2. in donatione Principis duob. vel plurib. communiter factâ  
*d. l. un. C. si liber. imper. soc. 3.* in donatione factâ à muliere  
secundò nubente filijs ex priori matrimonio susceptis *l. Si qua  
mulier. 4. C. ad Scum Tertullian.*

*Questio.*

10. Hic queritur, *An pars deficiens cum onere quoq; suo accrescat?* quod affirmatur. Sive onus sit legati vel commissi *l. 122. §. 1. ff. de legat. 1. sive aliud quodcunq; l. 61. §. Julianus. 1. ff. de legat. 2. d. l. un. §. 4. C. de caduc. toll.* Onus enim impositû heredi, quasi hereditati ipsi quodammodo impositû intelligitur, ut in eum transferatur, ad quem transit hereditas. Quod & in Legatis fere obtinet. Est enim hic hereditatis & legati eadem ratio, ne sc. is qui lucrum amplectitur, onus rejiciat. *d. §. 4. l. un.*

11. Excipiuntur tamen illa legata, quæ testatoris voluntas in unius solius legatarij persona conclusisse intelligitur. *d. l. un. §. 9. C. d. t.* Sed & Legatarij re tantum conjuncti, idq; propter rationem *in §. 11. vers ult. C. d. t.*

12. Notandum insuper quod pars hereditatis debeat deficere, non tota hereditas. Tota enim hereditas si deficit h. e. destituitur herede, non accrescit, propter defectum subjecti recipientis. Excipe tamen casum *l. qui patri 59. ff. de acquirend. heredit.*

13.g. In

13. g. *In uno*. Unum, dico, coheredem vel collegatarium *Subiectum*.  
sufficere, ut partem suam non agnoscat vel repudiet, & statim  
reliquis in parte sua deficiente jus accrescendi competit. Idem  
juris & quidē multo magis induobus vel plurib. est: Nam & ho-  
rum partes spretæ caterorum portionem adaugent *dd. §. §. 10.*  
*¶ 11. C. d. t.*

14. h. *Ex coheredibus vel Legatariis*. Hos cum  
illis conjungo in hac materia quia paribus passib. fere ambu-  
lant. Discrimen tamen hoc recipiunt 1. Quod inter heredes  
non solum conjunctos sed & disjunctos. *l. 63. ff. de heredib. in-*  
*situend.* Inter legatarios verò ita demum si eis conjunctim sit  
legatum, *l. 1. pr. ff. d. usufr. accresc.* jus adcrecendi admitta-  
tur.

15. 2. Legatariis non nisi consentientib. & volentib. accres-  
cit. *d. l. un. §. 11. C. d. t.* Cohæredib. verò etiam nolentibus &  
inuitis *l. un. §. 10. C. eod.* (quod tamen intellige, non cogi præ-  
cisè & omninò sed causativè & conditionaliter, si sc. velint par-  
tem suam retinere. *l. cum hereditate 55. ff. de acquir. heredit.*)  
Et ratio est in promptu. Heres succedit in locum defuncti, ipsi-  
usq; personam repræsentat, ut quasi adhuc vivere quodammo-  
do intelligatur, qui mortem obiit, alio in locum ejus successo  
*l. heres 22. ff. de usucap. Nov. 48. pr.* Idq; humanitatis ratio sua-  
sit mortalium votis indulgeri, qui pro immortalitate, quam se  
consequi posse diffidunt, specie quadam immortalitatis atq;  
umbrâ delectantur. Nam hac perpetuitate successionis conser-  
vatur in ævum memoria defuncti & heres, ut ait Poëta, here-  
dem alterius velut unda supervenit undam. quæ fictio juris, cum  
ad exemplum & imitationem naturæ sit comparata, pro parte  
esse & pro parte non esse nunquam potest. Hanc ob causam  
absurdum omninò esse dicitur, hereditatis unam partem agnos-  
cere, alteram respuere. *d. l. un. §. 10.* In legatario autem hoc  
non obtinet; hic enim personam defuncti non repræsentare di-  
citur. Nec si partem suam respuat, testator propterea partim  
testatus & partim intestatus decedit. Cum ejus portio neglecta  
ad

ad heredem, à quo erat relicta, si forte non habet conjunctum collegatarium, recidat §. *prosecund.* 4 d. l. un. C. de cad. toll.

*Questio.*

16. Hic perardua quæstio movetur, An in heredum & Collegatariorum persona jus accrescendi finiatur, an verò ad eorum successores transeat? Et verius est quod transeat. Probatur hoc ex l. 26. §. 1. ff. de condition. & demonstrat. l. si ex plurib. 9. pr. ff. de suis & legitim. Interest tamen, num hoc ante vel post aditam hereditatem fiat. Regula enim communis constituitur: Neminem non aditam hereditate eam ad successorem transmittere d. l. un. §. in novissimo s. C. de cad. toll. At cum in jure nostro nulla regula sit tam firma, quin patiat exceptiones. l. omnis definitio cccii. ff. de R. J. hæc etiam recipit suas limitationes.

*Regula.*

*Exceptio-  
nes.*

17. Fallit enim 1. in illis qui ante apertas tabulas r. t. C. de his qui ante apert. tab. hered. trans. 2. vel etiam ante aditionem decedunt, ut possint actiones hereditarias ad heredem transmittere l. si quis 3. §. antep. ff. de S. & O. Silvanian. 3. In heredib. suis, qui nec aditione opus habent, siquidem ipso jure heredes fiunt l. in suis 14. ff. de suis & legitim. l. 1. §. qui sunt in potestate 7. ff. si quis omissa causa testam. Hinc est quod possint deliberationem de succedendo in omnes suos successores, sive illi sint cognati sive extranei, transferre. l. cum in antiquior. 19. pr. C. de jure deliberant. 4. Fallit in infante hoc est minore .7. ann. licet non possit ipse propter defectum mentis l. 14. ff. de sponsal. l. 109. ff. de V. S. deliberare, multo minus adire, cum suo nomine hoc faciat parens. Si tamen & hic neglexerit hoc, post Mortem infantis, nihilominus hereditatem, quasi ad eundem fuerit devoluta, capit. l. si. infanti 18. §. 1. C. de jure delib. quod etiam ad emancipatum scriptum heredem, cum venter fuerit præteritus, porrigitur. quia & hic non potest adire l. 4. §. 3. in fin. ff. de bon. poss. quid tabul. Et tamen si vitâ deceffit, heres fuisse & ad filium bonor. possessionem contr. tabul. transmisisse intelligitur l. ventre præterito 84. ff. de acquir. heredit. d. l. 4. & l. 5. de bon. possess.

*Questio.*

18. Sed & quæritur, An portio deficiens ijs quoq; accrescat qui in rem succedunt, cujusmodi est Emptor hereditatis vel rei legatæ? Affirmativam astruere conor ex l. si Titio 33. §. 1. in fin. ff. de usufr.

Defun-

19. i. *Defuncti voluntate*. Quæ vel est expressa vel <sup>Formalè</sup> <sup>Voluntas</sup> <sup>expressa.</sup> tacita. Expressa, cum clavis verbis heredes, & legatarij conjungantur sibi; invicem copulentur particulis conjunctivis V. C. et. que. cum. l. 142. ff. de V. S. Ubi regulam pono: Verba si conjungendi vim habent, facile credi conjunctionem esse, nisi appareat contraria voluntas l. 33. ff. de legat. 1.

20 Apparet autem hæc, si testator plures instituit heredes & illis substituit. Nam tunc substituti succedunt institutis, posthabito jure accrescendi, quod alias competeret coheredibus quia illa dispositio est expressa. Sed in universo jure traditur pro regula: quod expressa faciant cessare tacita. Item quod dispositio hominis faciat cessare dispositionem legis Hinc Substitutio jure accrescendi potior esse dicitur in l. 2. §. si duo 8. ff. de bon. poss. secund. tab. quod intelligendum si illius conditio extiterit l. quamvis 4. C. de impub. & al. subst. vel si non inutiliter facta sit; est, utpote substitutus fuerit, cum quo testamenti factio non est arg. l. 20. ff. de adiment. legat. l. plane 34. pr. ff. de legat. 1. Hoc enim casu non impediret jus accrescendi, quasi demonstrat voluntatem testatoris transferre volentis partem ab instituto deficiente ad substitutū, ne modo accrescat coheredi arg. d. d. l. 20. ff. de adiment. vel transferend. legat. & l. 34. pr. ff. de legat. 1. Non enim hæc testatoris voluntas est, ut quod uni adscribit, alteri adimat, sed potius ut alterum alteri anteponat.

21. Apertè verò prohibere jus Accrescendi, in tantum ut post mortem pro parte testatus & pro parte intestatus decedat, juris subtilitas testatori nō indulget d. l. jus nostrum 7. ff. de R. J. Cum non possit cavere ne leges in suo testamento locum habeant l. nemo potest. 55. ff. de legat. 1.

22 Tacita Testatoris voluntas est quæ paulò obscuriorib. indicijis ex mente & animo ipsius colligitur. Ut in hoc exemplo: Titio aut sempronio lego. Quamvis hîc particula disjunctiva, aut, Titium à sempronio separare videatur, accipitur tamen pro conjunctiva L. sepe ita 53. pr. ff. de V. S. l. 4. C. eod.

23 Sed sive sit expressa sive tacita Testatoris voluntas, semper

B

per

per requiritur, si modò velit eam custodiri, testamentum jure esse factum *l. si testamento 7. C. de impub. & al. subst.* Aliter enim non competit jus accrescendi. Cum testamentum non jure factum *hoc est*, habens defectum in solemnitate vel in forma, non dicatur testamentum. *l. 2. §. testamentum 1. ff. testam. quemadmod. aper.* Et ex eo nec legata nec fidei commissa peti possint. Univerſa enim hereditatis causa tunc transit ad causam intestati. *l. si veritas 23. C. de fidei commiss.*

*Non conjunctorum quomodo capiatur.*

24. *k. Conjunctis.* Sive re, sive verbis, aut re & verbis simul. Sed nota hic quod conjunctos non consanguinitatis aut cognationis vinculum copulet: Hoc enim minimè attenditur sed tantum voluntas testatoris. Hinc frater patri anteponitur in *l. 1. §. 12. ff. de conjung. cum emancip. liber.* Cum jus accrescendirem magis quam personam sequatur arg. *l. 33. §. ff. de usufr.*

*Conjunctio triplex.*

25. Est autem conjunctio, prout hic sumitur, triplex. scilicet realis, verbalis & mixta. *l. triplici 142. ff. de V. S. l. re conjuncti 89. ff. de legat. 3.*

*Realis.*

26. *Realis conjunctio* fit, cum eadem res legatur vel eadem hereditas relinquatur duobus vel pluribus, sed separatim & diversis orationibus. Veluti:

*Titio Fundum Cornelianum lego. Sempronio Fundum Cornelianum lego.*

*Titius heres esto. Sempronius heres esto.*

Hi realiter conjuncti, propter diversitatem orationis, sæpius disjuncti dicuntur. *ut in l. un. §. 11. C. de caduc. toll.* De his ipsis pono hanc regulam: *Toties jus accrescendi esse, quoties in his duobus qui solidum habuerunt, concursus divisus est l. 3. pr. ff. de usufr. accresc.*

*Verbalis.*

27. *Verbalis conjunctio* est, cum eadem res, partibus pro indiviso expressis duobus vel pluribus legatur vel relinquatur, ut *Titio & Sempronio Fundum Cornelianum æquis partibus do, lego.*

*Titius & Sempronius æquis partibus heredes sunt; Vel Filij meis fundum Corn. æquis partibus lego.*

*Mixta.*

28 *Mixta* hoc est, quæ simul realis & verbalis, est, cum duo *Mixta:*  
vel plures ad eandem rem unam & copulativam oratione vocentur, ut:

*Titio & Sempronio Fundum Cornelianum do lego,*

*Titius & Sempronius heredes sunt.*

vel *Filijs meis fundum lego.*

In quâ ultimâ conjunctionis specie *pono pro regula:* quando-  
cunq; legatum duob. vel plurib. relinquitur, si partes adjectæ non  
sunt, tunc servari æquas sive æquales. *l. legata. 19. §. ult. ff. de legat. 1.*

29. Hic quaeritur *an jus accrescendi inter omnes conjunctos* *Quaestio:*  
*habeat locum, an solam inter verbis tantum?* Et communis Dd.  
opinio est conjunctos re, & re & verbis simul, ab initio solidum  
& concursu partes habere, inq; ijs non tam *accrescendi*  
*quam decrescendi jus* locum invenire: Verbis tantum verò con-  
junctos ab initio statim partes non quidem corpore sed intel-  
lectu tamen diversas habere, adeoq; re separatas esse, hisq;  
propriè jus accrescendi competere. Verum magis dicendum,  
omnes conjunctos ab initio solidum & concursu partes habere.  
*l. 80. ff. de legat. 3. l. 7. ff. de reb. dub.* Sed tamen diversimodè.  
Nam re & mistim conjuncti solidum habent expressè, partes  
verò tacitè & voluntate testatoris collectas. Verbis autem con-  
juncti partes habent quidem verbis Testatoris expressas, sed so-  
lidum tacitè assignatum in eventum alterius deficientis. Ideoq;  
partes hinc accipiendæ sunt, *cum exceptione: nisi alter non petat.*  
Quasi solidum penes alterum ex voluntate Testatoris remanere  
debeat

30. Hic possemus sanè varias conjunctionum species enar-  
rare, illarumq; perplexitatem pluribus persequi, sed ne theses in-  
nimium excrescant, abrumpendo videbimus jam de conjun-  
ctorum prælatione. De hac habemus textum satis, ut puto, aper-  
tum in *l. 89. ff. de legat. 3.* Ubi Ictum Paulum sequendo ordi-  
nem hunc servamus, reponendo.

In locum primum, re & verbis conjunctos. Qui ceteris tam  
re quam verbis potiores sunt. Quod tamen recipit excep-  
tionem in sine parte institutis, si cum alijs certas & determinatas  
partes habentib. concurrant. *l. item quod Sabinus 17. §. 1. ff. de*  
*hered. instituend.*

B a

In

In secundū locū, Verbis tantū conjunctos, qui re tantū conjunctis potiores sunt. Quod tamen etiam exceptione non caret. Admodum enim dubiæ leges possunt afferri, quæ inter hos & illos prælationem tollere & utrosq; in idem jus reponere videntur, ut puta *l. si ita quis 66. ff. de hered. instit. & l. Mavio 41. pr. ff. de legat. 2.* quarum conciliationem in discursu quærenti aperiam.

Regula.  
Generalis.

Intertium & ultimum locum, re tantū conjunctos.

31. Sicut igitur inter conjunctos diversi generis prærogativa discrimen habetur, ut unus alteri præferatur, ita inter conjunctos ejusdem generis æqualitas econtrà servatur ut deficiens pars pariter omnib; accrescat. Sed accidit tamen interdum, ut inter conjunctos ejusdem generis, alij alijs reperiantur conjunctiores. Dubitatur igitur non immeritò, *an & hi ceteris illis potiores sint jure accrescendi?*

E. g. *Titius & Fratrum mei filij heredes sunt l. interdum pr. ff. de hered. instituend.*  
*vel Sempronio & Heredib. meis lego. l. si quis Attio 7. ff. de usufruct. accreso.*

In his duobus exemplis omnes sunt conjuncti re & verbis. Videntur tamen hi qui collectim vocantur appellatione filiorum aut heredum, inter se magis esse conjuncti, & quasi in unum corpus redacti, adeo ut habeantur pro unâ personâ, cum omnes concurrant. Ideoq; etiam unam tantum partem & quidem dimidiam capiunt *cum Titio & Sempronio.*

32. Aliud exemplum erit hoc: *quisquis mihi heres erit & Titius, idem filio meo impuberi heres esto. l. ult. C. de impub. & al. substit.* Nam dictio *quisquis* hic vim partitionis ac distributionis habet ac perinde accipitur ac si nomina heredum expressa essent, hoc modo:

*Sempronius, Sejus, Cajus, & Titius filio meo heredes sunt.*

Jus accrescendi competit etiam ab intestato.

33. *1. Vel etiam absq; ejusdem Dispositione ab intestato concurrentibus, sc. heredibus, non etiam legatarijs, qui non ipso jure sicut illi sed Testatoris voluntate demum vocantur. Dico ab intestato.* certū enim est, non solum

in testamento sive scripto sive nuncupato, in codicillis & omnī ultimo elogio, nec non mortis causā donationib. jus accrescendi habere locum, ut supra demonstratum *ex d. l. un. §. 14. C. de caduc. tollend.* sed & competere in successione ab intestato, ut alij alijs præferantur, habemus de hâc re duos præcipue in jure locos.

34. Primum in *l. 12. ff. de bonor. possess. contr. tabul.* Ubi Ictus Gajus decidit, quando duobus filijs & ex altero filio duobus nepotib. bonorum possessio competat, & alter ex nepotib. non petat, tunc partem ejus fratri accrescere. Si verò ex filijs alter non petat tam fratri quam nepotib. id prodesse. Fieri enim duos semisses, ex quibus alterum filius, alterum nepotes consequuntur. *Alter locus est in l. 1. §. 12. ff. de conjungend. cum emancipat. liber.*

35. Nec hic expectatur *defuncti dispositio* vel aliqua eiusdem *Ubi non* conjunctio. Ipso enim jure reliquorum omittentium portio *desideratur* nes advenitib. *l. un. C. quand. non petent. part. pet. ijsq; non* solum viventib. sed & post mortem heredib. eorum accrescunt *voluntas defuncti* *l. si ex plurib. 9. pr. ff. de suis & legitim.* quò pertinet etiam inter vocatos ad bonor. possess. successorio edicto, si modo eiusdem gradus personæ sint, vigere jus accrescendi *§. antepen. Inst. de bonor. poss.*

36. In tantum ut & contra expressam defuncti voluntatem inter illos, quos exheredavit, si modò competat ejus querela inofficiosa, admittatur. *l. si ponas 23. §. ult. ff. de inoffic. testam.* per querelam enim rumpitur testamentum ac perinde est ac si testator omninò non decessisset *l. 6 §. penult ff. eod.*

37. *m. Alteri partem suam agnoscenti.* debet enim agnoscere suam, qui alterius vult acquirere partem, sive sit heres sive legatarius. *d. d. §. 10. & u. l. un. C. de Cad. 10th.* Agnoscit aurem non, quando unam vel duas admittit, cæteras, si plures ipsi essent relictae partes, respuendo. sed opus est ut simul & semel omnes agnoscat *l. quidem elogio 20. C. de jure delib. erand.* Nunquam enim unâ admissâ alterum repudiare potest. *l. 2 ff. de acquir. heredit.* quod tamen recipit distinctionem in legatario, cui res diversa & separata legatur. Hic enim potest

terit repudiare unum legatum & alterum amplecti l. 1. pr. ff. de legat 2. Aliud est si ei res una eademq; legata sit, tunc enim placet, eum legatum scindere non posse l. 4. ff. eod. si enim acquirere vult, tunc totam acquirat opus est l. si. cui res 58. ff. eod.

38. n. *Accrescit vel adjungitur.* sc. ipso jure adeo ut agnoscentis factum novâ additione declaratum, non requiratur. Postquam enim suam hereditariam partem adundo, agnoverit, si deinceps ipsi reliquorum repudiantium portio quoq; delata fuerit, non habet necesse ut secundâ vice noviter adeat l. 80. §. 1. ff. de acquirend. hered. Cum semel adisse sufficiat. l. 6. in pr. ff. de bon. possess. Nam & hæc novâ accrescens portio habetur pro ipsa, quam alias habet principaliter ex hereditate, eamq; auget l. 5. ff. de vulgar. & pupill. substit. Sicuti & res legata mihi & tibi, deficiente te, ex meo legato tota ad me pertinere dicitur l. si mihi 12. ff. de legat. 1. Ideoq; & unius ejusdemq; juris censentur, & unâ eademq; actione peri possunt. Esset enim inconveniens rem principalem, & accessoriam diverso jure æstimare l. 26. §. 2. ff. de pact. dotalib.

*Effectus.*



## A l'Autheur.

**H**OFFMAN vous disputez du droit de bien accroistre

Ses moyens pour heureux richesses acquerir

Ce sont les bons esprits qui par tout font paroistre

Qu'ils doibvent à bon droit aux honneurs parvenir

Prudence & pieté sont deux bons pilotis

Qui nous font surmonter toutes difficultés

Sans icelles il faut parmi les plus petits

Tenir son rang n'ayant ny biens ny facultés.

l. m. q; apposuit.

Abraham Bargeron.

Jus

**I**us accrescendi quare defendis, Amice,  
Vim decrescendi patria cuius habet?  
Scilicet, ut doceas, quanto sis robore mentis,  
Et Patriam rursus crescere posse tuam.

Ita.

Prestantiss. Dn. RESPONDENTI

Amico suo percharo, de iure Accrescendi  
disputanti l.mq. aggratulabatur

**T O B I A S Rombergi**  
Mülhusa. Thuringus.

---

**L**Audo tuos ausus, laudo conamina mentis  
Ingenium miror. Gratulor ex animo,  
Comprecor atq. tibi, Deus ut tua cœpta secundet,  
Quo studium possis continuare tuum.

Aggratulatur contubernali  
suo percharo

**Caspar. Deßmar**  
Mülhusa Thuringus.

---


**A**Rdua quin res sit, subtilis, lubrica,  
fallax,  
Ius accrescendi, nemo negare potest.  
Ardua

Petr. Gre-  
gor Tholo-  
zan. in  
Synagm.  
jur. l. 46.  
c. 9. n. 10.

Ardua tu thesibus tractas HERMANNE, quod  
es vel  
Ad Sophiæ Rivus, Culmine quodvè satus,  
Gratulor inceptis quin hoc conamine perges  
Gloria summa tibi, & nominis omen erit.

Ita Dn. HERMANNO Hoffmann contuber-  
nali ac amico suo dilectissimo de intricato  
Accrescendi jure disputanti, con-  
gratulabatur

Johann Christoph Dehmar  
Mulhusâ Thuringus.



Giphan. ad  
s. si eadem  
9. Inst. d.  
leg. Fa-  
chin. 4.  
conject. 98.

Quam gravis obscura & quam res sit lubrica lapsu  
Jus accrescendi, comprobat ipsa fides.  
Id tamen HOFFMANNUS temnit, fretusq; Themistos  
Filo. audet doctâ vera probare thesi.  
Laudo tuos cœptus, faustosq; acclamo labori:  
Unde accrescet, erit, gloria magna tibi.

Hicce

Præstantis. nec non literatissimo, Dn.  
ac Amico suo percharo, de jure ac-  
crescendi disputaturo animitus  
gratulatur.

Paulus Henckelius  
Ilmena-Thuring.







28 *Mixta* hoc est, quæ simul realis & v  
vel plures ad eandem rem unam & copulativam or  
*Titio & Sempronio Fundum Cornelian*  
*Titius & Sempronius heredes sunt.*  
vel *Filijs meis fundum lego.*

In quâ ultimâ conjunctionis specie pono  
cunq; legatum duob. vel plurib. relinquitur,  
sunt, tunc servari æquas sive æquales. *l. legata*

29. Hic quaritur *an jus accrescendi in*  
*habeat locum, an solum inter verbis tantum*  
opinio est conjunctos re, & re & verbis si  
dum & concursu partes habere, inq; ijs  
*quam decrescendi jus* locum invenire: Verbi  
junctos ab initio statim partes non quider  
lectu tamen diversas habere, adeoq; re  
propriè jus accrescendi competere. Veru  
omnes conjunctos ab initio solidum & con  
*l. 80. ff. de legat. 3. l. 7. ff. de reb. dub.* Sed  
Nam re & mistim conjuncti solidum hal  
verò tacite & voluntate testatoris collectas  
juncti partes habent quidem verbis Testate  
lidum tacite assignatum in eventum alteriu  
partes hic accipiendæ sunt, *cum exceptione*  
Quasi solidum penes alterum ex voluntate  
debeat

30. Hic possemus sanè varias conjunctio  
rare, illarumq; perplexitatem pluribus per  
nimum excrescant, abruptendo videbi  
ctorum prælatione. De hac habemus textur  
tum in *l. 89. ff. de legat. 3.* Ubi lectum Pau  
nem hunc servamus, reponendo.

*In locum primum, re & verbis conjunctio*  
re quam verbis potiores sunt. Quod tan  
nem in sine parte institutis, si cum alijs cert  
partes habentib. concurrant. *l. item quod*  
*hered. instituend.*

B a

duo *Mixta*  
r, ut:

ndo  
e non  
gat. 1.  
ntos *Quæstio*  
s Dd.  
soli  
cendi  
con  
intel  
hisq;  
dum,  
bere.  
nodè.  
partes  
con  
ed fo  
deoq;  
petat.  
anere

enar- *Prælatio*  
ses in *conjun-*  
njun- *ctorum.*  
aper  
ordi

s tam  
ptio  
natas  
ff. de

In

